



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam  
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna  
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

**Vastovius, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.**

Amundus Rex Sue. C.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38534**

# AMUNDVS REX FLORVIT ANNO CRISTI 1070.

ALEXANDRO II. Pontifice.  
Vacante Imperio.

*Pertinax idola-  
lomania super-  
stitio etiam Re-  
gibus grauis.*



*Amundus Rex  
regno maluit  
exui quā Etb-  
nica supersti-  
tione pollui.*

*Valentinianus  
deiectus Tribu-  
natus sit Caesar.*

*Amundus re-  
uocatur.*

*Odia iterum  
suorum cedit.*

MVNDV Regnum multis nominibus debebatur, Verum cum Idolum Vbſalense tum pertinaciter colerent incolæ, vt Reges etiam suos Christi mysteriis initiatos adigerent, stas temporibus ſolennia ſaltem ſacrificia ſua præſentia condecorare, vel certè munera delubro illi deſtinare, alioquin ni id facerent, regni a- miſſionem ſubuereri debebant. Tantus Amundo inerat reli- gionis ardor, tanta retinendi propoſiti cōſtantia, vt maluerit Regno quam Chriſto ſpoliari, & odium ſuorum imo exilium ſuſtinere, quam ſacrilegio fidem ſuam polluere. Ibat itaque gaudens à conſpectu cōcilij, quoniam dignus habitus eſt pro nomine Chriſti abiici, & Regno deſtitui. Verum Diuina diſ- ponente bonitate, quæ deſpectus ſui cauſa ſuſceptos non cæ- leſtibus modo ſed frequēter etiam terrenis remuneratur ho- noribus; non multò poſt pulſo Halſtano, populi ſuffragio re- uocatus, Regnum quod prius vitandi gratia ſacrilegii con- tempſit, recepit. Cui perſimile quid in Romana Repub. acci- dit. Prout enim Valentinianus pro Chriſti nomine Tribuna- tu quem gerebat à Iuliano deiectus, pulſo fugatoq; exturba- tore ſuo meruit imperium obtinere: Ita planè Amundus, Re- gnum quo ſe religionis amore exuit, ne ſacrilegus euaderet, vnanimi populi conſenſu reuocatus, eidem reſtituitur. Cum regnaſſet aliquandiu, nec de priſtino more iuſti æquique ni- mium tenax, quidquam remiſiſſet, facile ſopita cōtra eum re- ſuſcitata ſunt odia, iterumq; regno depulſus, ſeceſſit in abdi- tum, optatæ quieti locum commodum, non minus honeſto ocio quam laborioſo negotio aſſuetus, vir pro geminato Re- gni contemptu, pluribus Regnis digniſſimus.

*De eo Adam, Brem. lib. 4. in deſcriptione Sueciæ, Alb. Crantz in ſua Suecia  
lib. 5. cap. 12. & 15.*

EGINO